



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXXVIII. De beatitudine & merito Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

SECTIO SECUNDA.

De Angelorum custodia.

I. **C**IRCA custodiam Angelorum imprimis fide certum est, Sanctos Angelos peculiariter ad curam de hominibus habendam esse deputatos, Angelis suis mandavit de te, &c. Psal. 90. v. II. Angelorum semper vident faciem Patris &c. Math. 18. v. 10. & Actorum 12. v. 15. de Petro dixerunt fideles, Angelus ejus est. Huic etiam veritati passim subscribunt Sancti Patres. Ex quibus constat Calvinum lib. 1. insti. cap. 14. q. 7. non minùs impiè quàm stolidè ridere hanc ab Ecclesiâ semper traditam de custodia Angelorum doctrinam.

II. Singuli ergo homines sibi deputatum à Deo habent tutelarem Angelum: utrum autem idem Angelus plurium hominum successivè curam gerat, incertum: affirmat Iustinus & Origenes, & tanquam probabile defendit Suarez lib. 6. cap. 17. num. II. Circa tempus quo primò ei deputatur custos, S. Anselmus, Tertullianus, S. Bonaventura, Gabriel & alii, in quam etiam sententiam inclinare videtur Suarez citatus num. 18. asserunt unumquemque à primò conceptionis instanti Angelum sibi habere deputatum, distinctum ab Angelo matris: quod etiam docuerat S. Thomas in 2. disp. II. q. 1. art. 3. ad 3. hic verò q. 113. art. 5. ad 3. ait usque ad nativitatem, cum adhuc proles sit quasi pars matris, eam non habere custodem Angelum ab Angelo Matris distinctum.

III. Nec cum lapsu naturæ nostræ additus est homini custos, sed in statu etiam innocentia primos nostros parentes hoc privilegio fuisse donatos docet S. Thomas citatus art. 4. ad 2. Angelum etiam custodem habuit Beatissima Virgo ut docet S. Bernardus epistolâ 77. ubi eum ait fuisse Archangelum Gabrielem. Christus verò, licet Angelum custodem ob summam dignitatem, potentiam, & scientiam non habuerit, multos tamen habuit administros, sibi que ad nutum in omnibus obtemperantes. Antisiodorensis vult Antichristum ob summam nequitiam & animi obstinationem Angelum non habiturum, sed contrarium cum S. Thoma & communi sententiâ tenendum.

Præter Angelos verò uniuscujusque in particulari custodia designatos, alii etiam deputantur, qui regnis, ecclesiis & communitatibus præfunt. Imò personas quasdam præcipuas, ut Apostolos, Prophetas, Pontifices, Reges, probabile est unum ex præcipuis, seu Archangelis habere tutelarem, ut jam ex Sancto Bernardo vidimus de Beatissima Virgine. Ut plurimum tamen Angeli ad hominum custodiam deputati, non sunt ex supremis Angelorum ordinibus; hi enim, ut communiter docent Theologi, non alio modo rebus, vel in generali vel particulari præfunt, quàm mediatè, seu Dei voluntatem circa ea quæ ad custodiam, & dispositionem rerum inferiorum pertinent, quoad opera miraculosa & extraordinaria, ac præter cõmunem cursum aliis intinando. Angeli verò ad ordinarij hominum patrocinium designati, ex infimo tantum sunt ordine, seu Hierarchiâ.

Quoad patrocinij hujus hominibus ab Angelis præfuti actiones, certum apud omnes est, multa à Sanctis hæc custodibus in nos, etiam incogitantes, proficisci perpetuò beneficia: mala enim multa & tentationum occasiones avertunt, dæmonem coercunt, ad bene operandum excitant, poenas subinde medicinales infligunt: Tandem si animæ, quarum curam gerunt, ab omni labe puræ ex hac vitâ decedant, & reatu poena, in cælum eas deducunt; sin verò aliqua adhuc restet poena exolucnda, ad Purgatorium, ibique crebrò eas visitant & solantur.

Eodem planè modo econtrariò procedit dæmon in curandâ hominum perditione, unde ut insinuat S. Thomas q. 114. art. 1. dæmon, qui æmulatur divinitatem, Angelos suos distribuit, qui variis regnis ac provinciis præfunt, in ordine ad omne genus mali perpetrandum. Insuper communiter receptum est apud Theologos, unicuique homini statim ab ortu, ut bonum Angelum à Deo, ita malum à Lucifero, aut aliis ejus ministris peculiariter deputari, qui eum ad malum pertrahat: ita Magister in 2. dist. 6. ubi eum alii sequuntur scholastici: tenet etiam Origenes homiliâ 35. in Lucam, S. Greg. Nissenus & alii. Imò Suarez ita hoc verum putat lib. 8. cap. 21. num. 31. ut nullam probabilem esse rationem dicat dubitandi, quin Lucifer singulis hominibus singulos malos Angelos designet, qui eos impugnent, omni que coatu ad peccata pertrahant, ac perducant.

DISPUTATIO LXXVIII.

De beatitudine & merito Angelorum.

PLVRIMA hac de re dicta sunt supra, cum de visione Dei, & infra à necessariò adjicienda erunt multa, saltem quæ generatim ad beatitudinem spectant, cum de beatitudine agemus. Hic ergo illa tantum proponam, quæ Angelis specialiter competunt, & eorum beatitudinem cum merito conjungam.

SECTIO PRIMA.

Utrum Angeli Sancti beatitudinem meruerint per opera in statu beatitudinis facta.

I. Prima sententia est, Angelos primo beatitudinis instanti meruisse.



AGISTER in 2. d. 5. affirmat, atque Angelos per opera quae nunc in beatitudine exercent beatitudinem primò sibi collatam mereri. S. Bonaventura in 2. d. 5. a. 3. hoc saltem docet de operibus primo beatitudinis instanti elicis, in priori scilicet naturâ, quod etiam aliquando docuisse videtur S. Thomas licet hic, quaest. 62. sententiam mutarit.

II. Duplex hanc quaestionem disputandi modus.

Primo, utrum status beatitudinis obset merito, de quo postea cum de beatitudine. Secundo, utrum mereri quis possit pramium per opera illud subsequentiâ, de quo in materia de Incarnatione, ex proposito disputari solet de merito unionis hypostaticae, ibique illud, Deo dante, discutiam.

III. Possunt merita tempore sequi collationem pramii.

Non ergo videtur dubium, quin nil obset merito, quod opera pramii collationem tempore sequantur: sic enim Christus gratiam antiquis Patribus meruit, qui eum tempore praecesserunt. Si vero procedat quaestio de operibus pramii collationem naturâ subsequentiâ, dico breuiter, quod fufius in materia de Incarnatione est declarandum, non posse illa mereri pramii illius collationem.

Negant Patres posse principium meriti cadere sub merito.

Ratio est quia Principium meriti caderet sub merito, contra S. Augustinum, & alios Patres, qui passim contra Pelagium dicentem primam gratiam cadere sub merito, probant hoc omnino fieri non posse, eò quod prima gratia ad ipsum actum meritorium à priori requiratur, atque hinc inferunt, non posse gratiam actum illi in primâ sui collatione subsequi.

Idem quoad hoc est in causis physicis, Generatilibus.

Confirmatur: nec enim magis potest effectus moralis meritorius esse causa moralis meriti, seu causae suae primo ponendae, quam ignis B, causa quoad primum esse ignis A, à quo primo producitur, aut quivis alius effectus phycus causa primò producens suam causam.

IV. Dices: via Angelorum brevis admodum fuit, & unius diei ad summum, ut communis habet sententia; ergo per opera tantum in via facta, non videntur ad tantum meritorum cumulum pervenire potuisse ut maximos quosque Sanctos in perfectione vel adaequent, vel superent, quorum tamen merita, non unius tantum diei, sed multorum etiam annorum decursu sunt acquisita.

Declaratur quo pacto Angeli brevi tempore tot merita habuerint.

Resp. copiosam iis primo creationis instanti infusam esse gratiam, cui perfectissimè cooperantes, ad maximum brevitempore gratiae, & consequenter gloriae, cumulum pervenire potuerunt, tum intensissimè operando, tum actus supernaturales via perfectissimè exercendo, quam homines ut plurimum praestant, praesertim cum & gratia ipsa excitans in ipsis perfectior esse poterit & quoad substantiam, & operandi modum.

SECTIO SECUNDA.

An Angeli se ad gratiam primò recipiendam disposuerint.

I. Angelos tam bonos, quam primo creationis instanti se ad Deum convertisse.

SECUNDUM, quod hic quaeritur est, utrum Angeli se per actus bonos & supernaturales ad gratiam sanctificationis primò recipiendam disposuerint, vel eam sine ullâ dispositione propriâ infusam habuerint. Angelos tam bonos quam malos sicut in gratiâ omnes creati fuerunt, ita & per actus

bonos liberos supernaturales se primo creationis instanti ad Deum convertisse passim docent Theologi, & videtur mens sancti Thomae, hic q. 62. a. 6. communitè est Theologorum sententia. imò à fortiori dicendum hoc in ipsius sententia videtur de Angelis, cum primâ parte, q. 45. art. 1. ad quintum, de primo homine doceat, eum primo creationis instanti se ad Deum convertisse, & actum bonum habuisse, quo gratiae consensus. Unde 1. p. quaest. 63. art. 5. ad quartum ait, etiam malos Angelos primo creationis instanti meruisse.

Habet etiam hoc maximum in S. Augustino fundamentum lib. 12. de Civit. cap. 11. ubi de Angelis loquens, Simul, inquit, ut facti sunt, ei à quo facti sunt, amore cum quo facti sunt, adhaeserunt. Quærimus itaque, utrum hi actus, quos primo illo instanti simul cum gratiâ habituali habuerunt, fuerint in priori aliquo naturâ prius ad eam eliciti, tamquam dispositiones & actus illius de congruo meritorii, sicut de actu contritionis in conversione peccatoris respectu primæ gratiae dici solet.

Et quidem nullam in hoc esse repugnantiam mihi indubitatum videtur: primò enim quid vetat ut Angelus primo creationis suae instanti actum liberum eliciat, cum tam perfectè illo instanti, ac ullo alio postea sequente, libera sit ejus voluntas ad operandum indifferenter, alioqui hujusmodi actum nec concomitanter nec consequenter ad gratiam primo illo instanti habere posset. Deinde Deus ab aeterno liberè omnia decernit; ergo & Angelus liberè operari posset primo instanti suae productionis, seu existentiae. Nec etiam ex hoc capite repugnat quòd gratia requiratur ad meritum: hic enim supponimus dari gratiam excitantem, & cooperantem; gratia autem habitualis, seu sanctificans ad meritum de congruo non est necessaria, ut omnes fatentur.

Suarez itaque hic, lib. 5. cap. 8. Vasquez d. 228. cap. 1. & alii non pauci, qui ab his afferuntur, Angelos aiunt se ad gratiam habitualem per opera illa ex gratiâ excitante facta primo creationis instanti adposuisse, & illa in priori naturâ ad gratiam infusionem elicuisse. Econtrâ Molina q. 62. a. 3. & alii ex recentioribus volunt Angelos, gratiam habitualem sine ullâ propriâ dispositione primo illo instanti recepisse.

Ex his sententiis difficile dictu est, quam sit preferenda: in hanc tamen posteriorem magis propendeo, tum quia connaturalior modus hos actus eliciendi est per habitus, & principia intrinsicæ, ac permanentia, quam per auxilium extrinsecum, aut transiens. Quod verò in nostrâ conversione ad Deum, & ad gratiae infusionem in adultis dispositio aliqua requiratur, est quia prius supponitur à Deo averfi, per se autem decere videtur, ut ad gratiam obtinendam non tantum ab innocente exigatur, ac à peccatore, ut bene Molina supra: Tum demum quia hoc modo actus Angelorum sunt magis fructuosi, cum etiam pro primo instanti hoc modo potuerint esse gratiae meritorii. Nec nobis hac in parte contrarius est S. Thomas hic, q. 62. a. 2. ad 3. solum enim vult aliquem non indigere gratiâ habituali ut se ad habitualem gratiam obtinendam disponat, quod nos non negamus.

Tertium quod hic inquiri solet est, utrum gratia, quæ Angelis primo creationis instanti data est, æqualis fuerit an inæqualis. Resp. breviter cum S. Thoma hic, q. 62. art. 6. licet hoc non ponat ut certum, & cum Theologis communiter, gratiam iis qualiter tunc secundum diversitatem perfectionis naturalis inæqualiter fuisse infusam, non quidem quod id natura exigeret, sed Deus merè ex voluntatis suae ordinatione gratiam iis hoc modo voluit infundere.

communitè est Theologorum sententia.

II. An actus boni primo creationis instanti eliciti, prius naturâ fuerint ad gratiam.

III. Potuerunt actus boni primo creationis instanti eliciti prius naturâ ad gratiam habitualem.

Habet tunc Angeli gratiam excitantem, & adjuvantem.

IV. Abi affirmant, alii negant Angelos se ad gratiam habitualem adposuisse.

V. Probabilius est Angelos primo creationis instanti se ad gratiam non adposuisse.

Non tantum in obtinendâ gratiâ excitantur ab innocente, quantum à peccatore.

VI. Angelis in primo creationis instanti gratia inæqualiter erat infusa.

VII.
Ex Patribus ostenditur, Angelos inaequales inaequalem gratiam primo, creationis instanti accepisse.

Hoc etiam docet S. Damascenus & S. Dionysius affirmans distributionem Hierarchiarum & ordinum in Angelis fieri pariformiter secundum excessum naturae & gratiae: quod lib. de caelesti Hierarchia, c. 6. à præceptore Paulo didicisse se profitetur. Unde ibidem: *Prima, inquit, Hierarchia sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus (gloriae scilicet & gratiae) majori propinquitate conjuncta est; sicut autem Suarez hic, lib. 5. cap. 10. n. 14. & alii, qui di-*

cunt Angelos gratiam primo instanti dependenter à propria dispositione accepisse, hic consequenter affirmat eos auxilia tunc inaequalia habuisse, ita ut hic ordo & inaequalitas gratiae, toto tempore & viae hinc, & gloriae in patria persistat, sic etiam dicere possumus nos, Deum eo modo illorum intellectus & voluntates semper movisse, ut sicut inaequaliter gratiam primo creationis instanti acceperunt, ita & inaequaliter deinceps auxerint.

Inaequalitas gratiae in via, persistit in patria.

DISPUTATIO LXXIX.

De peccato Angelorum.

SECTIO PRIMA.

Vtrum Angeli voluntas ita sit libera, ut in pura natura contra naturalem rectitudinem peccare potuisset.

I.
Angeli in hoc statu potuissent pro quovis instanti vel bene, vel male agere.



DISPUTATIONE 76. sect. 2. ostendimus, voluntatem Angeli sibi relictam, ita indifferentem esse ad bonum & malum, ut quamdiu in via extitit, alterutrum amplecti potuerit, & consequenter vel bene

agere, vel peccare, idque sive mortaliter sive venialiter, etiam primo creationis instanti. Iam itaque inquirimus, utrum idem contigisset si Angelus in pura natura fuisset creatus, sine ulla elevatione ad gratiam, & præcepto positivo, ac lege supernaturali.

II.
Nulli sunt Angeli natura sua mali.

Suppono contra Manichæos, Priscilianum, & alios hæreticos, quos refert & damnat Concilium Bracharense primum, can. 6. & Leo Papa Ep. 91. nullos esse Angelos naturam suam malos: Manichæi enim duo statuebant prima principia, & ex iis alterum summè malum esse aiebant, ac mala omnia per se solum efficere. Hoc verò principium ulterius dicebant, non à Deo substantiam suam, naturaliter malam accipere, sed eam habere à se: quod etiam docuerunt Priscilianistæ asserentes diabolum naturam suam malum, nullum habuisse sui auctorem, sed è tenebris per se emerisse. Unde & Angelos aliquos statuebant per se malos, & à se sine ullo sui principio existentes. Porphyrius etiam inter alios errores, quosdam demones posuit naturam suam fallaces, & malos, ut refert S. Augustinus lib. 10. de Civit. cap. undecimo.

III.
Nulla creatura est à se, nec natura sua mala.

Hæc tamen sententia & falsa & hæretica est; omnia enim à Deo creata sunt, & bona: Angeli autem suo arbitrio facti sunt mali. Unde præter Concil. Bracharense citatum, hoc definiit Concil. Lateranense sub Innocentio, & habetur cap. *Firmiter de summa Trinitate*. *Diabolus inquit & alii demones à Deo quidem naturam creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali*. Quare ulterius in Concil. Carthag. 4. inter alios fidei articulos ei proponi solitos, qui Episcopus erat ordinandus, unus fuit, *An crederet quod diabolus, non per conditionem, sed per arbitrium factus sit malus*. Deinde, non potest aliquid naturaliter esse in se malum quoad substantiam, multò minùs quoad aliquam operationem; hæc enim si naturalis sit, & necessaria, mala moraliter esse non potest, nec Angelos reddere peccata dignos. In hanc proinde sententiam acerrimè

Dæmones creati sunt boni, & per suum arbitrium facti sunt mali.

invehuntur Patres omnes, tamquam & fidei & naturæ lumini contrariam.

Prima itaque sententia ait, licet Angelus, si ad statum supernaturalem eleveatur, possit peccare, imò de facto multi peccaverunt, si tamen, inquit hi auctores, in pura natura relinqueretur, ita esset natura sua determinatus quoad specificationem ad bonum honestum, ut non posset, eo relicto, velle aliquid turpe, adeoque in naturalibus deficere peccando non posse: ita Durandus, Capreolus, Cajetanus Ferraria, & multi ex recentioribus Thomistis.

Secunda tamen & probabilior sententia affirmat Angelum, etiam naturam suam relicto, liberum esse quoad specificationem circa bonum & malum, ita ut quodvis amplecti, & in quamcumque velit partem suo se arbitrato inflectere possit, proindeque & in pura natura peccare: ita Scotus in 2. disp. 23. q. unica, Ockam, Gabriel, & alii. Suarez lib. 3. cap. 7. Molina, Arrubal, & alii.

Probatur hæc sententia primò: defacto enim peccaverunt Angeli contra lumen rationis, & consequenter contra legem naturalem; posito namque quòd Deus eorum naturam ad ordinem & finem supernaturalem eleverit, & ejusmodi præcepta imposuerit, tam est evidenter contra lumen rationis iis non obtemperare quam mentiri, aut aliud hujusmodi præstare; tam enim evidenter dicitur lumen naturale esse in supernaturalibus Deo obtemperandum, posito quod imponantur ejusmodi præcepta, ac in naturalibus. Deinde demones jam multa præstant contra lumen & dictamen rationis, mentiendo, homines decipiendo, & ad peccata pertrahendo, ergo & in pura natura isthæc præstare possent, cum non minùs perfectè jam ista videant dictamini rationis adversari, quam vidissent in pura natura; jam enim cognitionem habent æquè perfectam, ac in pura natura habuissent, vel ante peccatum habuerunt, saltem quoad scientiam naturalem.

Licet etiam, cum modò sint in statu damnationis, & summè desperatione æternæ felicitatis, maximumque conceperint odium Dei, habeant varia incentiva ad peccandum, quæ in statu puræ naturæ non habuissent; sicut tamen hæc incentiva non ita impellunt eos ad peccandum, quin possint absolute non peccare, ita cum in pura natura fuissent liberi, potuissent absolute hæc & similia peccata committere, cum eadem ratio convenientiæ vel disconvenientiæ potuisset iis in eo statu eadem claritate proponi, qua modo, sicque eadem in iis fuisset simpliciter libertas & potentia in pura natura, quæ jam est ad hæc peccata admitenda.

IV.
Dicunt nonnulli Angelos in pura natura creatos non potuisse peccare.

V.
Probabilior est Angelum, in pura natura creatum, potuisse peccare.

VI.
Angeli de facto peccaverunt contra lumen rationis, ergo & hæc præstare potuissent in pura natura.

Dæmones jam multa præstant contra naturam luminis contrariam.

VII.
Dæmones, quamvis plurimum jam habeant ad peccandum incentiva, absoluè tamen possunt non peccare.

SECTIO